B. N. C.
FIRENZE
1036
16

1036 . 16

1036
16
7

XVII
44

XXXIV

Ex legato D: Equitij Antonij Fran:
Viarinij

ASSERTIONES
THEOLOGICAE,
AC PYSIOLOGICAE.
QVAS

Fr. Michael Angelus Renzolius de Luciniano Ordinis Seru.

Inter Sacræ Theologiæ alumnos minimus.

Ad mentem Henrici Gandauenſis eiuſdem Ordinis
Doctoris Solemnis publicè diſcutiendas
proponit.

Sub aſſiſtentia R. P. Magiſtri Auguſtini Mariæ de
Florentia in Conuentu D. Annuntiatæ de Piſto-
rio Regente Meritiſſimo ſuiquè Pręceptore
Amantiſſimo.

Ad Reuerendiſs. Antiſtitem

ELISEVM MAZZONIVM
Totius Religionis Fratrum Seruor.
Vicarium Gener. Apoſtolicum.



IN LEGE DOMINI

PISTORII, Apud Petrum Antonium Fortunatum.
M. DC. XXXI.
Superiorum Permiſſu.

1872

1036 16

De Simplicitate Dei .

Sĩplex Is. totũ mundũ ſuper aſtra gubernat.
Atque gradum ſummũ ſimplicitatis habet.

COnceditur autem huiusmodi diſt. ipſimet Deo. quia nullam in illo dicit compoſitionem, omnis .n. compoſitio ita rigoroſè à Deo eſt excludenda, vt non ſolum vera compoſitio, ſed etiam omne id, quod compoſitionem ſapere videtur, ab illo remoueri debeat, ſi illi debetur omnimoda ſimplicitas, ſicut aliter aſſerere, eſſet periculoſum in fide..

Hæc antem ſimplicitas, non ſolum efficit, vt ab ipſo remoueatur, quod ſit corpus, ſed etiam excludit ab illo compoſitionem ex materia, & forma, & ex genere, & differentia, cum in nullo predicamento, ſit & ad nullum reduci queat, cum ſit ſimpliciſſimus, & rationi prædicamenti maximè repugnet ipſa ſimplicitas..

Neque in hoc ſiſtit ipſius eſſentiæ ſimplicitas, ſed etiam vltra progrediens excludit, & prohibet in ipſo Deo compoſitionem ex natura, & ſuppoſito, atquè inſuper ex eſſe, & eſſentia.

Nam hæc omnia inter ſe, & ab eſſentia non diſtinguuntur realiter, vt quidam viſus eſt aſſerere, cuius error

idem

poſtea damnatus fuit in Concil. Rhem. neque formaliter, ſed tantum diſtinguntur ratione ratiocinata, quod intelligendum eſt tum de natura, & ſuppoſito, tum de eſſe, & eſſentia, quæ in Deo ſunt omnino idem, vt habetur Exodi 3. *Ego ſum qui ſum.*

In Creaturis autem aliter dicendum eſt, natura enim, & ſuppoſitum, eſſentia, & exiſtentia, licet non diſtinguantur realiter, non tamen dicendum eſt diſtingui tantum ratione vt aliqui putant, ſed melius aſſerendum videtur diſtingui hæc inter ſe intentione, vt vult Henr. Gandauenſis in ſua Summa art. 28. q. 5.

Sicut etiam exiſtentia, & ſuppoſitum licet in creaturis non diſtinguantur realiter ab eſſentia, & natura, hæc tamen aſſerimus cum eodem Henr. Gand. aliquid addere ſupra ipſam naturam, & eſſentiam; An vero hoc ſit aliquid poſitiuum ſiue negatiuum inter diſputandum aperietur ad mente Henr.

Et ex hoc arguitur ipſa ſumma ſimplicitas in ipſo Deo, quæ tanto interuallo facit illum à quacunque Creatura diſtare, vt in illo eſſe, & eſſentia, natura, & ſuppoſitum diſtinguantur tantum per noſtrum modum concipiendi, cum fundamento tamen in re.

Quod in Creaturis aſſerere, licet videatur multis philoſophis Ariſtoteli conſentaneum, tamen valde periculoſum eſt in fide propter myſterium Incarnationis.

De

De Affectionibus negatiuis. ſ. De infinito, & vacuo.

Natura genitos quadam menſura metitur
Nec vacuos tractus orbis inanis habet.

ISTAE ſunt præcipuæ affectiones, quæ corpori naturali competunt, ſed ſunt aliæ, quę licet illis non competant, nec competere poſſint, tamen de illis diſſerere non erit inconueniens, maxime cum contrariorum eadem ſit diſcipli- na, & priuationes per habitus cognoſcantur.

Inter quas affectiones negatiuas eſt infinitū, cum enim omnia corpora naturalia ſint finita, quippequæ omnia tam Hetereogenea quam Homogenea limitantur maximo, & minimo, hinc eſt, quod de illo agere etiam ſpectat ad Philoſophum.

Qui cum Ariſtotele 3. Phyſicorum tex. 6. negat dari vllum infinitum actu in rerum natura, cum tamen duplex ſit infinitum, Cathegorematicum vnum, Syncathegorematicum alterum, illud poſſe dari negat Philoſophus, licet hoc poſſe dari nullum dicat abſurdum.

Immo tantum abeſt, vt detur actu infinitum, vt neque per abſolutam Dei potentiam poſſit dari, quæ con-

D clu-

cluſio hic inſeritur pace Phyſices ſtudioſi, vt vndequaque melius appareat ipſius infiniti negatio.

Remanet igitur à natura excludendum vacuum, quod omnium conſenſu ita abhorret natura, vt nihil aliud magis abhorrere videatur.

Vnde excitatur illa Quæſtio, vtrum Angelus cum ſit naturæ filius, ſua virtute poſſit efficere vacuum, cui queſtioni nos negatiuè reſpondemus.

Quando autem quæritur dato, & non conceſſo vacuo, an in eo poſſet fieri motus, ſi naturaliter loqui debemus, in eo non poſſe fieri motum vtique indubitanter aſſerimus.

Sed vlterius dato, & non conceſſo motu in vacuo aliqui quærunt, an in illò motus fieret in tempore an in inſtanti, quibus nos reſpondemus in illo caſu fore, vt motus fieret in tempore, non in inſtanti.

De Speciebus Corporis Naturalis.

De Cœlo, & Elementis.

Cœlum diuerſos orbes, & ſydera pandit.
Ut vaga Iunonis lumina monſtrat auis.

Determinatis affectionibus corporis naturalis ad eius ſpecies ſermo eſt deflectendus, inter quas primo ſeſe obijciunt elementa, & cœlum, quod eſſe animatum, graue aut leue, augmentabile, aut diminuibile, alterabile, generabile, aut corruptibile negamus,

Cui competunt differentiæ poſitionis loci furſum, & deorſum, dextrum, & ſiniſtrum, ante, & retro, non tamen deſumuntur hęc differentię à ſtella neque à polis, ſed ab ipſa intelligentia, quæ in aliquo definito ſitu indiuiſibiliter, & virtualiter cælo iungitur, & ipſum tangit.

De numero vero orbium cæleſtium, cum plures ſententię circumferantur, nec eas enumerare, licet

lepiditatis, atque venuſtatis afferat aliquid, ſit neceſſarium, noſtram ſententiam aperimus afferentes cęli orbes mobiles eſſe tantum octo.

Qui mouentur duplici motu ab ipſa intelligentia (quæ non eſt forma informans, ſed aſſiſtens) vno quidem rectitudinis, & ſimilitudinis vocato, qui fit ſuper polos mundi ſecundum circulum æquinoctialem ab oriente in occidens, alio vero obliquitatis & diſſimilitudinis qui fit ſub circulo Zodiaci ab occidente in oriens.

Et eſt iſte ſecundus motus orbium Planetarum proprius, cum octaua ſphoera vnico tantum motu moueatur, de motu vero ipſarum ſtellarum, cum multi multa differant nos eas non moueri niſi ad motum orbis aſſerimus, eſt enim ſtella denſior pars ſui orbis tamquam nodus in tabula.

Per quos motus, & lucem cœlum influere dicimus, neque hos influxus concedere nobis eſt difficile, licet Aſtrologos per hos influxus poſſe futura pręnoſcere nobis aſſerendum non videatur.

Neque dicendum eſt cum iiſdem Aſtronomis influxus cælorum eſſe cauſam pręſentis peſtilentiæ, quę iam per totam Italiam craſſatur, neque dicimus cum Pythagoricis ex huiuſmodi cæli motibus oriri ſonum, & armoniam.

Ele-

Elementa verò, licet in mundo pura non dentur, tamen ſi ſecundum ſe ſpectentur, ambas habent qualitates in ſummo, ſed cum ad elementa, & cœlum peruenerimus noſtræ liceat diſputationi finem imponere, dummodo aliquando ſub pedibus videre nubes, elementa, ſydera, & cœlum contingat.

LAVS DEO.

Di-

Diſputabuntur publicè PISTORII;

IN ECCLESIA DIVÆ ANNVNTIATÆ.

Anno M. DC. XXXI. Menſe Februarij Die 23. & 24. Hora 21.

Obiectionibus pro viribus ſatisfaciet Fr. Michael Angelus qui ſupra.

Aſſiſtente ſibi Reu. Patre Mag. Auguſtino de Florentia.

In eodem Conuentu Diuæ Annuntiatæ Regenti.

PISTORII, M. DC. XXXI.

Ex Typographia Petrum Antonium Fortunatum.
Superiorum Permiſſu.

1036. 16

99 957206

1036.16

1036.16

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 8274800